



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXXV. Ioannis Papae VIII. Ad Lvdovicvm Balbvm Regem. Bosonis  
comitis, & Agilmari episcopi, a quibus in Italiam deductus fuerat, studium  
erga se operamque commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

tantum nefas delebimus, & vindictam, nisi satisficeritis, nihil minus dabimus : quia non pastores, sed inuasores fuisse cernimini. Quapropter monemus, apostolicaque auctoritate expresse præcipimus, vt ad cor redeentes ad matrem vestram sanctam Turonensem ecclesiam reuertamini, & secundum antiquam consuetudinem illi obedire satagatis, & de perpetrato haec tenus ipsi vestro archiepiscopo Adelardo misericordiam queratis, quatenus super omnibus negligentiis apud summum arbitrum veniam habere possitis. Quoniam si aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihil minus feriendi, & a nostra communione modis omnibus alienandi, & omnis vestra ordinatio a summa sede apostolica scilicet respunda. Data vt supra.

## EPISTOLA CXXV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM BALBVM RÆGEM.

Bosonis comitis, & Agilmari episcopi, a quibus in Italiam deductus fuerat, studium erga se operamque commendat.

*Dilectissimo filio Ludouico glorioſiſſimo regi, dñe memorie  
Caroli imperatoris filio.*

**Q**VANTO vos amore diligimus, quantumque caritatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minime possumus : hoc tamen gloriam excellentiæ vestræ scire cupiuimus, quod deuotionem ardoremque caritatis, sicut polliciti sumus, erga vos indeficientem perpetuo retinemus. Interea millenas serenitati vestræ de Bosone dilecto & communi filio ac fidele gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans iussis, parere in omnibus ita nobis studuit, vt etiam velut vere Christianæ religionis cultor, animæ & vita suæ non pepercérerit, sed pro sanctæ ecclesiæ & communi fidelitate vltro se morti tradere non dubitauit, & usque Ticinum, annuente Deo, securius nos perduxit. Quapropter, dilectissime fili, ac porphyretice rex, obsecramus excellentiæ vestræ culmen, vt si res exegerit, sicut nobis vestra dignata est remittere sublimitas, ei adiutorium ad debellandos hostes nostros virorum bellatorum adminiculum præbeat:

\* fort.  
Synoda-  
liter.

quoniam dignum est, ut soli omnes adiutorium præbeant, qui solus pro cunctis desudare non cessat. Præsentem itaque huius latorem epistolæ, Agilmarum venerabilem episcopum, excellentiæ vestræ plurimum commendamus: quatenus idem, suaque ecclesia crescat augmento perfectionis, qui in omnibus opportunitatibus nostris nulli secundus extitit, & vobis fidelissimum in cunctis, quæ cognouerit, verissime comprobauius. Inter hæc episcopos, quos serenitas vestra in nostrum iussit venire adiutorium scias præter Agilmarum nullum venisse. Quapropter regalis censura culminis vestri sua auctoritate compellat eos quantocius \* hostiliter Romanam venire, ut de cetero discant apostolico culmini & regali excellentiæ congruerter præbere obedientiam.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

*[Agilmarum.]* Ex subscriptionibus Synodi Tricassinae, atque ex præcepto Caroli Crassi anno DCCCXXCV. Aruernorum episcopum fuisse intelligimus.

EPISTOLA CXXVI.  
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANSPERTVM ARCHIEPISCOPVM  
MEDIOLANENSEM.

Increpat eum, quod sibi auxilium non tulerit; & iam tertio monet ut sibi Papiam certa die cum suis suffraganeis occurrat.

*Reverendissimo & sanctissimo confratri Anferto venerabili archiepiscopo Mediolanensi.*

**Q**VANTVM benigna fraternitas vestra sanctæ sedi apostolicæ concurrere, ac concordare debeat, prædecessor noster beatus Gelasius papa ad episcopos paruipendentes vexationem fratrum his verbis comminando scribit, dicens: Cur non compassi estis tantis fratribus vestris? Cur non adistis imperatorem? Cur non posuistis animam pro fratribus, quam præceptum habetis ponere pro grege vobis commisso? Cur non posuistis vos pro domo Israel murum, ut staretis in prælio in diem Domini? Quapropter tandem discussa negligentia ad pristinum vos refor-

T iiij